Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

tis. sed mortem. ut esset in similitudine carnis peccati pena sine culpa. Unde in carne peccati et pena solveretur et culpa. Theoph. Videas ergo figuram ad veritatem. Ibi enim serpentis similitudo speciem quidem teste habet. venenum autem non habet. Sic et hic Christus a peccato liber. in similitudinem carnis peccati venit. Exaltari autem audiens. suspensionem intelligas in altum. ut sanctificaret aerem: qui sanctificaverat terram ambulando in ea. Intelligas et per exaltationem gloriam. Nam illa crucis altitudo. gloria Christi facta est. In quo enim iudicari voluit: in hoc huius mundi principem iudicavit. Adam enim iuste mortuus est quia peccavit. Dominus iniuste: quia peccatum non fecit. Postquam ergo iniuste mortem sustinuit. superavit illum qui eum tradidit morti. et sic liberavit adam a morte. Sed et in hoc devictum se invenit. Non enim potuit in cruce dominum contristare: ut crucifigentes odiret. sed magis diligebat et pro eis orabat. Sic ergo crux Christi eius exaltatio et gloria facta est. Criso. Ideo et non dixit. pendere oportet filium hominis. sed exaltari. quia honestius hoc videbatur. Unde et propter audientem et propter figuram hoc posuit. Ut quam cognata sunt vetera novis. Deinde ut agnoscas quoniam non invitus ad passionem venit. et ad huc ut discas quoniam multis hinc

de baptismo puerorum. Nascatur salus. Aug. Sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem. et a veneno sanabatur. et a morte liberabatur. sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem. baptismum que eius: et a peccato per iustificationem. et a morte per resurrectionem liberatur. Hoc est enim quod ait. Ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam eternam. Quid ergo opus est ut morti Christi per baptismum conformetur parvulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus. Criso. Attende autem quod passionem obumbrate posuit. ne ex eius verbis fieret tristis auditor. fructum vero passionis posuit manifeste. Si enim qui credunt crucifixum non pereunt. multo magis qui crucifixus est non perit. Aug. Hoc autem interest inter figuratam ymaginem et rem ipsam. quod illi sanabantur a morte ad vitam temporalem. hic autem ut habeant vitam eternam.

Sic enim dilexit deus mundum: ut filium suum unigenitum daret. ut omnis qui credit in eum non pereat. sed habeat vitam eternam. Non enim misit deus filium suum in mundum ut iudicet

Quia dixerat Criso. Oportet exaltari filium hominis. in quo mortem occulte significavit: ne auditor tristis ab hiis fieret verbis. humanum quid de eo suspicans. et mortem eius estimans esse non existentiam: hoc ad rectitudinem reducit. filium dei dicens eum qui datur ad mortem. et mortem eius esse causam vite eterne. Unde dicit. Sic enim deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret. Ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam eternam. Ac si dicat. Ne miremini quoniam ego debeo exaltari ut vos salvemini. et enim et patri hoc videtur. qui ita vos dilexit. ut pro servis inde vocatione filium dederit. Quando autem. Sic deus dilexit mundum: per multam indicat amoris intentionem. Multa enim est et infi